



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Prosa Exegesis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

Submitunt famulas manus
 Stellantesque chori, raucaque fulmina:
 Qui terram imperio premit,
 Nutuque vndisonum Nerea temperat,
 Mundi que abdita permeans
 Obtutus radio transfadigit fibras.
 Hic si nubigena face
 Lingua precipitis dicta piauerit,
 Numquam praeperae necis
 Deuotum laqueis expedies caput.

PROSA EXEGESIS.

CONCLUDENS hoc versu Ecclesiastes communica-
 tionem & quasi commercium hominum cum
 Deo, vanitatis eos, id est dementiae condemnat, qui in-
 consultam temeritate, secus atque oportet, de Deo sen-
 tiunt ac loquuntur: & portentosas illas stultasque
 de Deo deque eius providentiam opiniones somniis com-
 parat: de quibus ad pleniorum huius loci tractatio-
 nem pauca dicenda sunt.

Cic. lib. 2.
 de Divinat.
 Somniorum
 considera-
 tio.

Variæ sunt apud antiquos de iis sententiae. Prota-
 goras omnia somnia vera esse putabat, quia homi-
 nem finem esse dicebat & mensuram rerum omnium,
 ac proinde unumquodque tale esse quale homini vide-
 retur, non sobrio tantum, sed etiam vinolento. Digna
 certe hoc stulto sententia, ut qui paulo ante tam frigide
 de Deo pronuntiabat, Essetne, an non esset, sibi non li-
 quere; nunc de somniis etiam vinolentorum constare
 sibi asserat vera esse omnia. Contra Xenophanes Colo-
 phonius & Epicurus omnibus somniis fidem detrahe-
 bant: quia si vera essent somnia, veras haberent causas
 effectrices, naturam & Deum: atqui, inquebant, natura
 est

Bulingerus
 li. 5. de Di-
 uinat. c. 1.

est amica ordinis & constantiæ, quæ nulla sunt in somniis: Deus autem potius futura aperiret vigilantibus & sapientibus, quàm sopitis & stertentibus.

Sed media tenenda via est, ut nec omnia quæ per somnium repræsentantur, falsa esse contendamus, nec omnia tamquam vera & certa adstruamus. Nam, ut ait Isidorus Pelusiota, quæ in quiete nobis obuersantur, reliquæ sunt eorum quæ per diem agitantur, & partus inutiles ignauæ consuetudinis. Et Tertullianus, Anima, inquit, iacente corpore, ac blandâ vi soporis immobili, tamen interim somniat, nec quiescit, nec ignauescit omnino, nec naturam animæ immortalis sopori seruam addicit. Probat se mobilem semper, terrâ marique peregrinatur, negotiatur, agitat, laborat. Itaque cum non omnino sopiatur anima, multa vera, & rebus in vigiliâ gestis consentanea concipit; & cum sensuum organis maiori ex parte destituatur, plura procul dubio falsa, nec inter se cohærentia, instar Horatianæ illius chimæræ comminiscitur,

— ut nec pes nec caput vni
Reddatur formæ.

Ita se res habet in illâ portentosâ de Deo, de quæ diuinâ prouidentiâ, opinionum colluione, quam partim Ethnici, partim Athei Politicique in orbem inuenerunt. In quâ tamen aliquid subinde veritatis emicat, pleraque tamen absurda sunt & absona, à naturæ principis aliena, & à communi sæculorum omnium consensu abhorrentia, ac proinde meritò ab Ecclesiaste vanitatis damnata. *Vani enim sunt omnes homines, inquit Sapientis, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut*

Somnia nec omnia vera nec omnia falsa.

Isidor. Pelusiota li. 1. Epist. 9.

Tertullian. de Anima c. 43.

Horat. in Arte Poëtica.

Ethnicorum & Politicorum de Deo opiniones mera somnia.

Sap. 15, 1.

spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. Aut si Græcorum nominibus vtendum est, in

Vide Lorum in Sapien.

igne Vulcanum consecrarunt, eumque (quod ignis hic in terram lapsus puritatem suam amiserit, & imbecillior sit, materiaeque fomento indigeat) claudum finxerunt. In aëre Iouem venerati sunt: pro stellarum gyro signa Zodiaci coluerunt, variâ effigie delineata (siue Pythagoras harum figurarum auctor fuerit, siue Oenopides Chius, siue Anaximander) in aquâ nimiam aut Neptuno aut Amphitritæ diuinos honores habuerunt: in Sole Phœbum, in Lunâ Dianam templis arisque ac victimis coluerunt. Sed minor fortassis horum est reprehensio; ait Sapiens, qui magnum quiddam atque eximium de Deo concipientes, quidquid in orbe aut splendore magnificum, aut magnitudine excellens, aut efficientiâ singulare deprehendebant, hoc inprimis Deo dignum atque adeo Deum ipsum esse arbitrabantur. Sed longè minùs culpâ vacat eorum dementia, qui & bouem Isidem, & serpentem Æsculapium, & canem Anubim, & capram Amalthæam, & vrsam Calisto diuinitate consecrarunt.

Sap. 13, 6.

At, inquiunt quidam, hæc Mythologiæ, siue fabulosa Poëtarum Theologiæ adscribenda sunt. Quid ergo? an à Rerumpublicarum moderatoribus maior introducta est Religionis maiestas? Quid ab his nugis naniisque distat Theologia ciuilis? Plùsne maiestatis habet dea ruris Rufina, & præses montium Iugatinus, & collium Collatina, & vallium Vallonia? Deinde, quorsum in solis segetibus tot numina? Quorsum segeti germinanti Proserpina, geniculis nodisque culmorum Nodotus, inuolucris folliculorum dea Volutina, iisdem-

Augustinus lib. 4. de Ciuit. c. 8.

demque ut spica exeat patescantibus Patelena, florentibus Flora, lactescentibus Lacturcia, maturescentibus Matuta, denique cum runcantur, id est à terrâ auferuntur, Runcina præficuntur?

Sed hæc rusticæ simplicitati condonentur: maiore inter ciues deorum dearumque delectus? apud quos & Stercutius, & Cloacina, & Volupia, & Cunina, & Edufa, & Potina, & quorum præclara munia pudor vetat eloqui, dea Virginensis, & Subigus, & Prema, & Priapus? Eant nunc, ait D. Augustinus, & ciuilem Theologiam à Theologiâ fabulosâ, vrbes à theatris, templa à scenis, sacra Pontificum à carminibus Poëtarum, velut res honestas à turpibus, serias à ludicris quâ possunt subtilitate discernant: flagitiorum fortasse minus inuenient, nugarum certè tantundem, imò & nequissima turpitudinis.

Augustinus
libro 6. de
Ciuit. Dei,
c. 9.

At iniques, sunt inter Ethnicos & Politicos nonnulli, qui repudiatis fabulis, supremum aliquod Numen agnoscunt. Esto sanè: sed quàm indignis opinionum somniis eius maiestatem contaminant? in quantâ caligine cespitant? in quantâ cæcitate palpitant? Audite Plinium, si tamen vllum agnouit Numen. Irridendum est, inquit, agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum. Anne tam tristi tamque multiplici ministerio non pollui credamus? Quid M. Tullius? nonne ut liberum homini vindicaret arbitrium, in Deo rerum contingentium præscientiam infitatus est? Nonne summus ille Philosophorum apex Aristoteles absurdum esse contendit, primam mentem de rebus quibusdam cogitare: & melius esse quædam non videre, quàm videre. Nonne phœnix ille Ethnicæ virtutis ac sapientiæ Seneca negauit à Deo

Plin. lib. 2.
c. 7.

Cic. lib. 2.
de Diuinat.

Arist. li. 1. 2.
Metaphys.
c. 9.

postuma iustis præmia, improbis supplicia decerni?
 Quisquis hæc tam delira somnia perpenderit, nonne
 merito censebit Ecclesiasten pronuntiasse, *Vbi multa sunt
 somnia, plurimæ sunt vanitates?*

*Varia fal-
 sorum Deo-
 rum & er-
 vorum causa.*

Sed unde, quæso, tam parum coherentia, tamque por-
 tentosa de Deo somnia. Non aliâ ex causâ, quàm vel ex
 supinâ quadam ignorantia, salutisque neglectu, vel cer-
 tè ex affectuum perturbatione. Quemadmodum enim
 in aquâ, quæ fluctibus agitatur, peruersæ distortaque
 apparent species, & post cibum concitatis in corpore
 humoribus ac vaporibus turbulenta existunt somnia;
 sic illæ portentosa de Deo eiusque providentiâ opinio-
 nes ex affectuum fermè perturbatione nascuntur.

*Affectus
 inordinati.*

*Vide Lori-
 num in Sa-
 pient. c. 14.*

Primum itaque nonnulli nimio seu dolore seu amo-
 re idololatriam in orbem inuectam arbitrantur, dum
 pater filij, aut filius parentis defuncti effigiem floribus
 primùm, deinde thure, tum cæsis etiam victimis, ad
 solatium ac mœroris leuamen veneratus est, siue Belus
 aut Ninus ille fuit apud Babylonios, siue Sarug aut
 Thare apud Cappadoces, siue Cecrops aut Prometheus
 apud Athenienses.

*Adulatio
 aut admi-
 ratio.
 Lactantius
 lib. 1. c. 15.
 Tacitus
 Annal. 4.*

*Idem li. 4.
 & lib. 15.*

*Beneficiorum
 memoria.
 Cic. lib. 2.
 de Naturâ
 deor.*

Alteram errorum causam inuexit adulatio, aut in
 iis quibus maior animi erat candor, inusitata alicuius
 potentia, beneficentia, aut alterius virtutis admiratio.
 Sic Pergameni Diuum Augustum, superato Sexto Pom-
 peio, templis arisque consecratis in deorum suorum
 numerum cooptarunt. Nec minor Hispanorum vani-
 tas fuit erga Tiberium, Anicij erga Neronem.

De beneficentiâ verò sic M. Tullius: Suscepit hoc vi-
 ta hominum, consuetudoque communis, vt beneficiis
 excellentes viros in cælum famâ ac voluntate tollerent.
 Hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius,
 hinc

hinc Liber etiam diuinitate donati sunt. Non minus impiè quàm impudenter tractat hoc argumentum Plinius, cùm ait: Deus est mortali, iuuare mortalem: hæc ad æternam gloriam patet via: hæc nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subueniens. Hic mos est vetustissimus referendi benè meritis gratiam, vt tales Numinibus adscribantur.

Sed multò turpiùs circa æternum illud Numen eiusque prouidentiam hallucinati sunt, quos propria vitia in fraudem errorefque fœdissimos impulerunt. Accipite quantum dementia pariat alumna diuitiarum superbia. *Diuitias*, inquit Sapiens, *ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus?* Nec impietate cedit altera diuitiarum alumna ventris ingluuies, de quâ Prophetâ Regius, *Prodiit*, inquit, *quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Posuerunt in calum os suum, & lingua eorum transiit in terrâ. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis? Quid ita verò? Quia non alium Deum, quàm ventrem agnoscunt, neque aliam prouidentiam quàm culinariam. Quorum finis interitus*, ait Apostolus, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Et Tertullianus: *Quibus deus venter est, & pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos coquus. Quorum tota charitas in cacabis feruet, tota fides in culinâ calet, tota spes in ferculis iacet. Sed illa imprimis abominanda sunt, insomnia dicam an intemperie, cùm, vt ait D. Hilarius, aduersus publici pudoris necessitatem voluntatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non pudet cogitare: & ne publici assensus iudicio stultitiæ arguatur, si verbis animi sui sensa de-*

Plin. lib. 2.
cap. 7.

Affectus
erga pec-
catis.

Prou. 30, 8.

Psal. 72, 7.

Philipp. 3,
19.

Tertullian.
contra Pfy-
chicos.

Hilar. in
Psal. 52.

Pfal. 52.

prompserit, dicit insipiens in corde suo, Non est Deus. Quæ verò tantæ impietatis causâ? Non alia certè, secundum

Ibidem.

Hilarium, quàm quæ à Prophetâ subiungitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Vix enim contingit in tantam impietatis abyssum quemquam præcipitem ferri, nisi prius omnibus promiscuè flagitiis animam prostituerit: neque tanta cæcitas in hominem cadit, imò ne à Deo quidem infligitur vt extremum supplicium, nisi prius instar abominandi cuiusdam cadaueris in peccatis computruerit. Verissimè enim pronuntiat D. Prosper: Cùm aliquos à Deo aut

Prosper ad capitula II. Gallorum.

traditos desideris suis, aut obduratos legimus, aut excæcos, magis peccatis suis hoc ipsos meruisse profiteremur: quia talia eorum crimina præcesserunt, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Sed quæret aliquis, Quod tantæ pesti par esse poterit antidotum? aut quam animis tam desperatis ac depositis adhiberi poterit medicina? Non multa congeram alexi-

Timor Dei hæc somnia dicunt.

pharmaca. Breuissimum hunc aphorismum præscribit Ecclesiastes: *Tu verò Deum time.* Si quis enim infinitam Dei potentiam, eiusque velut specimen quoddam, hoc vniuersum (opus tanto artifice dignissimum) sibi proposuerit, facile agnoscet, nec fas esse, nec omnino decere miseros homunciones ex argillâ de tantâ Maiestate, aut eius providentiâ, quâ hoc vniuersum gubernat, otiosè arbitrari. Deinde si quis expendit, quàm seuerè, ne dicam crudeliter animaduertant Reges ac Principes in eos, qui læsæ Maiestatæ conuicti sunt, nullo negotio iudicabit, quantæ temeritatis sit ac dementiæ, infinitam illam Maiestatem blasphemiiis ac maledictis lacessere, providentiam criminari, Numen denique ipsum tamquam Solem è mundo tolle-

tollere. Quæ tormenta satis acerba sunt futura ad excarnificandum impudens illud os? Quæ fulmina satis efficacia ad abolendam hanc sacrilegam impietatem? Quæ demum æternitas satis longa ad iniuriam infinito Numini illatam, suppliciorum diuturnitate compensandam? Memini ante annos non ita multos fuisse in Galliis celeberrimum Iurisperitum, sed nullius fidei aut religionis, planeque atheum, apud quem cum nulla Theologorum axiomata, nulla rationum momenta valuissent, ut supremum aliquod in orbe Numen esse fateretur, tandem hoc timoris remedio, & eximij cuiusdam Theologi ratiocinatione sanatus est, cum diceret: Næ tu, qui Iure consultissimus haberi, in re summâ, à quâ pender æternitas, parum prudenter tibi tuisque rationibus consulis, qui in Deum, à cuius supremo tribunali nulla dabitur appellatio, tam iniurius ac blasphemus es. Quin potius Deum piè ac submissè veneraris? Si enim nullum in orbe Numen fuerit (ut stultè tibi persuades) certè nihil tibi hæc pietas nocebit: sin autem (quod ratio doctis, euidencia barbaris, imò feris ipsis natura persuadet) Deus aliquis in hoc vniuerso principatum tenet, quis te tantæ Maiestatis reum ineuirabili eius potentia æternisque cruciatibus subducet? Hæc ratio tanto terrore atque horrore miseri illius animum perculit, ut ab hoc Dei timore (seruili quidem, ac naturali potius quàm diuino) sanioris fidei vitæque sanctioris cursum sit auspiciatus. Nos qui sanctioribus institutis ad omnem pietatem ac religionem sumus conformati, ne hoc quidem timoris alexipharmacum à nobis alienum existimemus. Impossibile est enim profanas illas atque impias opiniones eius animum occupare,

pare, quem diuinorum iudiciorum terror inuaserit. Sed iam tandem grauissimis hisce curis defuncti, ad minores vanitatum species Ecclesiasten sequamur.

SECTIO QUINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouinciâ, non mireris super hoc negotio: quia excelsio excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti.

METRICA PARAPHRASIS.

QVID stupes, vulgum quoties superbis
 Turba Magnatum pedibus iacentem
 Proterit? Cur sic miser ingemiscis
 (Ceu fatiscenti Deus orbe habenas
 Abdicans alto iaceat sopore
 Mersus) insani quoties Gradui
 Proterit miles Themidis bilancem?
 Aut vbi Astrea rutilante velo
 Lumen obnubit, manibusque numos
 Plutus infercit; meritisque dispar
 Iustus iniustâ vice criminosi
 Crimen exsoluit? Cohibe querelas:
 Ne, precor, mentem subeat labantis
 Machinæ sorti moderanda tradi
 Fræna. Prorepet Nemesis flagelli

Lancos